



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

Præfatio ejusdem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

MANUALE  
D. AVGVSTINI,  
SEV LIBELLVS

De Contemplatione Christi, sive de Verbo Dei, quo sopita cælestis desiderii memoria renovetur.

P R Æ F A T I O.

**Q**VONIAM in medio laqueorum positi sumus, facile à cælesti desiderio frigesimus. Quapropter assiduo indigemus munimento, ut expergefati ad Deum nostrum, verum & summum bonum, cum defluimus, recurramus. Idcirco non præsumptionis temeritate, sed magna Dei mei dilectione, huic opusculo ad laudem ejus operam dedi; ut ex elegantioribus dictis sanctorum Patrum, breve & manuale verbum de Deo meo mecum semper haberem: ex cujus lectionis igne, quoties tepesco, in ejus accendat amorem. Nunc adesto mihi Deus meus, quem quero, quem diligo, quem corde, & ore confiteor, & qua valeo virtute, laudo atque adoro.

2. Mens mea devota tibi, tui amore accensa, tibi spirans, tibi inhians, te solum videre desiderans: nihil habet dulce nisi de te loqui, de te audire, de te scribere, de te conferre, tuam gloriam frequenter sub corde revolvere: ut tui suavis memoria sit inter hos turbines aliqua repausatio mea. Te ergo invoco, desideratissime, ad te clamo clamore

re magno in toto corde meo. Et cum te invoco, utique in me ipso invoco. Quoniam omnino non essem, nisi tu esses in me: & nisi ego essem in te, non esses in me. In me es, quoniam in memoria mea manes: ex ea cognovi te, & in ea invenio te, cum reminiscor tui, & delector in te, ex quo omnia, per quem omnia, & in quo omnia.

## CAPVT I.

*De mirabili essentia Dei.*

I. **T**V, Domine, cælum & terram imples, omnia portans sine onere, omnia implens sine inclusione. Semper agens, semper quietus; colligens, & non egens; quaerens, cum nihil desit tibi; amans, nec æstuans; zelans, & securus es. pœnitet te, & non doles; irasceris, & tranquillus es; opera mutas, sed non mutas consilium; recipis quod invenis, & nunquam amisisti; nunquam inops, & gaudes lucris; nunquam avarus, & usuras exigis; supererogas, cui non debes; vel semper; superogatur tibi, ut debeas.

2. Ecquis habet quicquam non tuum? Reddis debita, nulli debens; donas debita, nihil perdens. Qui ubique es, & ubique totus; qui sentiri potes, & videri non potes; qui nusquam dees, & tamen ab iniquorum cogitationibus longe es; qui nec ibi dees, ubi longe es: quia ubi non es per gratiam, ades per vindictam; qui ubique præsens es, & vix inveniri potes. Quem stantem sequimur, & apprehendere non valemus. Qui